

De oprichting van twee kapelaniën in de parochiale kerk te Weert in 1616.

—
*Medegedeeld door Fr. Dalmatius van Heel,
Minderbroeder te Weert.*
—

Bij de beide hier volgende brieven van Jacob *a Castro*, bisschop van Roermond, respectievelijk van 22 en 26 April 1616, werden in de parochiale kerk van den H. Martinus te Weert twee kapelaniën opgericht met cura animarum. De pastoor dier uitgestrekte en volkrijke parochie was tot dan toe alleen met de zielzorg der parochianen belast. Ten einde aan deze, welke zeer toegenoo-

men was, meer zorg te kunnen besteden, had hij aan den Bisschop van Roermond de aanstelling van twee kapelaans gevraagd, tot wier onderhoud hij den Bisschop voorstelde om eenige beneficiën en officiën of vrome stichtingen in zijne kerk en in de kapellen der buurt, wier opbrengst zeer onvoldoende was en waarvan hij de vergeving had, te vereenigen. Dit verzoek werd door den Bisschop ingewilligd.

Voor de eerste kapelanie werden bijeengevoegd het officie van de Broederschap der H. Maagd, gesticht op het altaar der H. Katharina, dat der HH. Apostelen Petrus en Paulus op het altaar van de Allerheiligste Drievuldigheid, dat van den H. Antonius, het officie van het altaar ter eere den H. Jacob en het officie der H. Ursula, gesticht op het altaar van den H. Nicolaus.

Voor de tweede kapelanie waren het de beneficie van den H. Geest en die van het H. Kruis alsmede de officia van den H. Cornelis te Swartbroek, der H. Barbara te Tungelroy, der H. Oda te Boshoven, der HH. Matthias en Antonius, die tot éene beneficie onder den titel van den H. Geest vereenigd werden.

De verplichtingen der beide nieuwe titularissen, van wie de eerste ook vice-pastor genoemd wordt, worden breedvoerig in de beide brieven omschreven. Deze laatste zijn geschreven naar een copie en gecollationeerd door J. P. Sittaert, openbaar notaris.

I.

Jacobus Dei et apostolicae Sedis gratia Episcopus Ruremondensis, omnibus et singulis praesentes litteras visuris, aut legi audituris salutem in Domino.

Inter omnia nostrae sollicitudinis officia nihil aequè nobis curandum est, quam ut saluti fidelium de sufficienti ministerio provideatur. Cum ergo in oppido Werthensi tantus sit fidelium numerus, ut unius pastoris ministerium non videatur ei sufficere, ut dicto oppido proventus quibus honeste sustentari possit aliquis honestus sacerdos, qui pastori in omnibus, quae curam animarum concernunt, subvenire teneatur. (*) Cum ergo sint in Ecclesia parochiali divi Martini Werthæ certa quaedam beneficia, atque officia, quorum singula ob tenues proventus negliguntur, consultum esse judicavimus horum nonnulla in unum beneficium conjungere. Itaque officium confraternitatis B. Mariae, quod in altari S. Catherinae celebrari consuevit et officium S. S. Apostolorum Petri et Pauli, quod in altari S. S. Trinitatis fundatum est, atque officium D. Antonij, et officium ad altare S. Jacobi, denique officium S. Ursulae in altari S. Nicolai

(*) In het afschrift zijn eenige woorden uitgevallen na sufficere.

erectum cum beneficio ibidem fundato, cujus modo rector est Martinus Pleunius, haec inquam officia et beneficia, quorum omnium collatio ad pastorem Ecclesiae St. Martini in Weerdt juro antiquo pertinet, ipso requirente, et de ejus consensu in perpetuum copulare atque unire constituimus, prout ea per praesentes unimus atque copulamus, atque unita et copulata esse volumus, eorumque proventus in posterum assignamus in sustentationem seu honorarium stipendium alicujus honesti et mediocriter docti sacerdotis a pastore eligendi, atque per nos approbandi, qui animarum curam vicariam gerere sub pastore sit obligatus. Ne vero etiam omnium horum proventus ad honestam ejus sustentationem minus sufficiant, promittit voluntarie pastor modernus eligendo vicario suo, in domo sua dare mensam liberam, cum eis, quae mensae adhaerere solent, scilicet lecti-sternijs, lotionem, igne et lumine, vel si id forte alterutri patri commodum non sit, loco eorum quotannis ei persolvere viginti quinque maldera siliginis, mediatim circa natalem Domini, mediatim vero circa Pascha tradenda: quam promissionem pastoris nos per praesentes acceptamus, et tam ipsi quam successoribus ejus istam obligationem imponimus. Tenebitur vero supradictus vice-pastor praeter ministerium in cura animarum sine querela ac contradictione praestandum, omnibus diebus dominicis et festis praesertim paulo majoribus post missam matutinalem in Ecclesia praedicare, magnam partem sermonis de rebus cathegisticis juxta Tridentini Concilii mandatum instituendo, divinis quoque interesse officijs et cantum Ecclesiasticum honeste adjuvare pastori missam canenti semper inservire caeteraque ejusmodi facere, prout hactenus pastoris capellani facere consueverunt.

Porro, ut intentioni eorum, qui supra memorata officia atque beneficia fundarunt etiam fiat satis, obligatus erit ad celebrandam missam matutinalem per se, vel per alios singulis diebus, altaria vero praedicta, in quibus pro ratione proventuum, vel saepius vel rarius celebrabit, decenter et honeste habere allaborabit. Permittimus tamen, ut, si quando contigerit, a civibus ex alia causa ab ipso missam requiri, id semel aut ad summum bis per hebdomadam suscipere possit, horam non immutatam, et factam pro hujus uniti fundatoribus commemoratione per Collectam et in Memento.

Ut vero hujus unionis perpetua memoria perseveret, supradictus vice-pastor ad manus a nobis vel archidiacono nostro commissionem habentis quotannis, ante festum Divi Matthaei, etiam nullam praemissa admonitione, solvere tenebitur unum florenum viginti stufe-

rorum in recognitionem sub poenam solvendi duplum, si ante illum diem non sponte persolverit et ne hujus perpetui vice-pastoratus erectio, quam in aedificationem Ecclesiae facimus, cedat forte in destructionem, mandamus ut vice-pastor semper pastori tamquam capiti suo in licitis atque honestis obediat, pacem atque concordiam cum ipso colat quantum in se erit.

Atque insuper statuimus et ordinamus, ut si cum contingat in malam conversationem declinare, aut in suo ministerio ita segnem esse, ut juste contra eum ad Ordinarium querelae deferantur, in potestate sit hujusmodi Ordinarij eum hoc suo beneficio privare, etiam prima vice quando crimen aliquod scandalosum aut notabilis in ministerio defectus probata fuerint, atque alteri, melius Ecclesiam aedificaturo in locum illius surrogare. Ut vero hisce nostris plena fides habeatur, eosdem sigilli nostri majoris Episcopalis sub impressione mandamus muniri.

Actum Werthae mensis Aprilis die 22 anno Verbi incarnati 1616. (*Erat signatum*). De mandato Reverendissimi Domini. (*Subscriptum erat*) Ludovicus Smeijers.

II.

Jacobus Dei et apostolicae Sedis gratia Episcopus Ruremondensis, universis et singulis litteras visuris et legi auditoris salutem in Domino.

Inter omnes officii nostri curas, ea praecipua est, ut cura animarum fidelis populus provideatur, unde non tantum hoc agendum est, ut unicuique Ecclesiae parochiali unus aliquis pastor praefigatur, verum etiam ubi parochiae tam copiosus est populus, ut unicus ad serviendum necessitatibus ejus non sufficiat, adjutor adhibeatur unus vel plures prout populi multitudo, et subditorum in dissitis locis habitatio postularit, et quidem Oppidi Werthensis parochia, tantam habeat populi multitudinem, ut non tantum solus pastor ei non sufficiat ad ministerium, sed ne quidem si unus adjungatur Capellanus commode satisfaceri possit, quod cum docuerit experientia, ad officium nostrum pertinet, ut uni Capellano, de quo nuper ei provisum est, etiam secundus adjungatur. Cum ergo supersint in Ecclesia D. Martini Werthensi aliquot partim beneficia, partim officia, piaequae foundationes, quorum singula, si alicui conferantur rectori, ad personalem faciendam residentiam non sufficiunt, et proinde fructus quidem per absentes recipi soleant, sed officia negligi, eo quod, qui sacerdotes resident, tot officijs non sufficiant, omnino consultum est, ut eorum aliqua inter se uniantur in beneficium unum, ut ex fruc-

tibus eorum honestus aliquis sacerdos, qui secundus sit Capellanus, valeat sustentari.

Itaque suffragante nobis autoritate Concilij Tridentini et consentiente etiam venerabili Domino Groenen, qui ratione curae pastoralis omnium sequentium beneficiorum et officiorum collator est, statuimus in unum beneficium copulare atque unire, prout per praesentes unimus et copulamus beneficium ad altare Stⁱ Spiritus, et beneficium ad altare S. Crucis, quibus adjungimus officia, seu pias fundationes capellarum aliquot extra oppidum constitutarum, nempe S. Cornelii in Swartbroeck, S. Barbarae in Tongelroij, S. Odae in Boshoven, St. Matthiae quoque et S. Antonii, quae omnia sic juncta in unum erigimus beneficium sub titulo Sancti Spiritus, imponentes ei onus 2^{di} Capellatus perpetuis futuris temporibus cum personali residentia: ne vero omnium dictorum beneficiorum seu officiorum proventus sustentationi Capellani non sufficiant, addet ei pastor triginta florenos brabanticos, et quatuor maldera hordei, ac sedecim vasa siliginis, ac novem brabanticos, quae solvent magistri Sancti Spiritus; percipiet quoque ex fraternitate Ven. Sacramenti triginta et unum florenos brabanticos: ex fundatione Dominae de Croij uxoris comitis Jacobi quator florenos, quorum omnium proventus simul juncti ad sustentationem Capellani utcumque sufficient.

Debebit vero Capellanus iste se paratum et voluntarium exhibere, quemadmodum et primus, in cura animarum sub pastore, divisis quidem extra necessitatem cum primo Capellano septimanis, urgente autem aliqua necessitate, sicut et primus, omni tempore sine querelâ.

Tenebitur quoque hora competenti in Catechismo instruere juventutem, quolibet die dominico aut festo, divinis quoque interesse, et cantum juvare, caeteraque agere, prout hactenus pastoris Capellani facere consueverunt.

Porro ut intentioni eorum, qui superius memorata beneficia et officia fundaverunt etiam satisfiat, quantum fieri potest obligatus erit secundus Capellanus ad missam quotidianam, quarum una in altari Sancti Spiritus, una in altari S. Crucis, una quoquo diebus jovis cum cantu in altari Ven. Sacramenti, reliquae autem quatuor in Capellis supra memoratis erunt celebrandae.

Obligatus quoque sit secundus Capellanus in recognitionem juris Archidiaconatus singulis annis ad manus a nobis commissionem habentis ante festum Sancti Remigij etiam nulla monitione praemissa solvere unum florenum brabanticum 20 stuferorum, sub poena dupli solvendi, si neglexerit; et ne, quod in aedificationem Ecclesiae factum est, forte cedere posset in detrimentum, volumus et ordinamus, ut, si hujus uniti beneficii rector, vel

in suo officio notabiliter negligens, vel in moribus suis probatus fuerit scandalosus, posse solo Ordinarii decreto, etiam nulla actione juridica praemissa, hoc beneficio privari, et alius in locum ejus surrogari atque institui, a pastore quidem praesentandus, ab Ordinario vero, si idoneus reperiatur admittendus. Ut hisce vero major fides adhibeatur, praesentes manu nostra subsignatas, etiam majoris sigilli Episcopalis appensione volumus commu-
nere, hac 26 die mensis Aprilis anno Domini 1616.

JACOBUS, Episcopus Ruremondensis.